



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1656**

§. 147. Summus autem Sacerdos scindens vestimenta sua ait. v. 63.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

caelo & in terra & infra terram. Ego igitur non me solum sed omnia mea offero hodie Domino meo Iesu Christo.

§. 147. *Summus autem Sacerdos scindens vestimenta sua ait. v. 63.*

Animaduerto non sine causa, ex parte quidem tua, passio iræ indomitæ imo sacrilegæ hoc causauit, ex parte vero Dei hoc ipsum permittentis causa est, indicare iam veteris Testamenti seu Legis Mosaicæ pontificatum & Sacerdotium Leuiticum iam esse destructum reuelato tam patenter Messia, qui Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech hac nocte inchoauit.

**O** Caiphatus ultimus Pontifex Leuitici Ordinis, uti Aaron fuit primus, quia ille indutus est stola &c. veste Pontificia per Moylen, & in throno collocatus; Tu vero de illo solio surgens illud reliquisti vacuum, & quod adhuc in te erat Pontificale, nempe indumentum honoris pristini lacerasti, & te ipsum exuisti, iam Pontificatum perdidisti. Quid imprudens homo fecisti! Ecce sic passionibus suis dediti semper se ipsos plectunt, plus quam inimici eorum seu veri seu apparentes. Exue te potius passionibus, lacera affectuos prauios, non sancta vestimenta. Eadem exhortatio ad vos pertinet, ô Reformati prætensi, vos laceratis Altaria, Imagines, Sanctorum vestes sacras, libros Ecclesiasticos, calices & pretiosa furamini. Vos potius, mendacia, blasphemias & falsitates quas in Deum congeritis potius lacerare deberetis vestrum proprium Iudicium, vestras passiones tunc opera pretium faceretis &c. vobis & Reip. Christianæ.

§. 148. *Quid adhuc desideramus testes. v. 63.*

Audiro Christi Domini claro & aperto responso de se, quod ipse esset non solum Filius Dei, sed & Deus coram toto concilio, Pontifex gratulatur concilio, quod magno labore inquirendi testes sint defuncti, vel certe quodam fastu collegas in Iudicio contemnit, quod ipsi laboriose per viam testimoniorum & testium incedere voluerint, se sui ingenij acumine rem inquirendam confecisse, illos parum sapere, se lynceum fuisse; Sed ô Caipha non aduertis tu eodem acumine quod manifestè ex Iudice fastus sis accusator & testis, & Iudicium te ipso teste & accusatore exerceas, etsi hoc animè aduertisti, uti de beo præsumere de tuo acumine, quid tibi de toto processu videtur? an ille potest esse iustus? velles ne tu eodem & testem & accusatorem & Iudicem agente iudicari? Non credo, quod te ita oderis. Cur ergo alteri sic fecisti? Vides credo quid velim tibi inculcare, sed sero te moneo, abiisti iam in locum tuum.